







VENERABILEM SENIOREM  
SUUM

h.e.  
VIRUM MAXIME REVERENDUM, AMPLISSIMUM  
ET EXCELLENTISSIMUM

DN.

DANIELEM  
MULLERUM,

SS. THEOL. DOCTOREM CELE-  
BERRIMUM, ET  
ARCHIDIACONUM AD D. NICOLAI  
VIGILANTISSIMUM,

EX MILITANTE ECCLESIA IN  
TRIUMPHANTEM D. XIII. MARTII  
Ao. ÆR. CHR. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> c<sup>o</sup>  
LXXXVI.

DIVINITUS EVOCATUM

IPSO EXUVIARUM CONTUMULATIONIS  
DIE SEU XVI. MARTII

HARMONICIS HISCE LAMENTIS  
PROSEQVITUR

MINISTERIUM LIPSIENSE.



LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI.



**V**ivo, at non ego jam vivo, sed vivit  
abundè

In me Christus, amor delitiæq; meæ.

Nam quod nunc vivo, sic disponente Je-  
hova

In carne, in Christum dat mihi sola fides,  
Hic me dilexit, pro me se tradidit ipsum

In cruce quid mirum, vixero si moriens?  
Omninò & moriens vivo, moriensque

triumpho

Cum Christo, cuius crux mihi facta salus.

Prudentissimo Domino Compatri, & Collegæ,  
ex textu ipsius funebri, lug. pon.

D. GEORGIUS *Seymann*

P. P. & Superint.

**Q**uando Ministerii sacramunia iustus  
adibam,

Inter Collegas tempore primus eras.

Sed fuit illorum, præter Te, nemo superstes

Hactenus, atq; abiit munere, quisq; prior.

Nunc demum senio confectus, & ultimus exis.

Inter eos tua Te præmia certa manent.

Scribebam ultimi honoris ergo

JO. BENEDICTUS CARPZOV.

D. P. P. & Pastor ad D. Thomæ.

**M**ullerus linquit terras athleta Jehovæ,

Atq; petens cælum digna brabea capit.

Heu venerande Senex! tristi nos orbe relin-

quis

Fatorum ignaros, sera quid hora vehat.

Verum tempus erit, quando super astra lo-

catos

Nos Mullero iterum junget amœna dies.

Honori Supremo venerandi in Christo Patris & Collegæ con-  
iunctissimi subitaneum monumentum p.

AUGUSTUS Pfeiffer / D. Fac. Th. Assess.

Ling. Ebr. P. P. & ad D. Thomæ Ecclesiastes.

Ad



Adbeate defunctum.

**T**Erquinos Collega fui Tuus ipse per an-  
nos,

Quem Patris in morem par coluisse fuit,  
Nam cum vitales prodirem lucis in auras,  
Purgavit sacrome Tua fonte manus,  
Nunc, quo Calovius nuper, quo Lucius ivit,  
Evocat emeritum Te super astra Deus.  
Æternum salve nostri venerabile mem-  
brum

Ordinis, æternum Te beet alma quies!

L. THOMAS ITTIGIUS,  
ad D. Nicol. Ecclesiast.

**S**ic Venerande senex placidæ nunc mem-  
bra quieti

Muneris injuncti fessal labore dabis,  
Spiritus interea superas evectus ad auras  
Patris propitii præmia larga capit.  
Hæc bene perpendens quis non grate tur  
humando?

Sit tibi grata quies, præmia larga sient!

*In obitum*

*Maximè Reverendi Mulleri, Archidiaconi Lipsiensis per annos  
bene multos optime meriti deproperabat*

L. TILEMANN ANDREAS RIVINUS,  
Ecclesiast. ad D. Thomæ vespert.

**Q**Vorsum, Sancte Pater? Domini num  
gaudia solus

Intras, & gnatum linquis in orbem alò?  
Durum! sed rursus Te cernam, quando vo-  
cabit

Me Dominus pariter de statione meus!

*Venerandum Ministerii Lipsiensis Seniore ex militante in triumphante  
abductum Ecclesiam acclamabat lucu circumfusus*

M. JOHANNES Dornfeld/  
ad Div. Nicol. Diaconus.

Qvan-



Quando suam extinctam loget *Dresda* inclyta *Lucem*  
Et *Proto-Mystam* dum *Viteberga* suum;  
MULLERUM cecidisse suum, ne nescia fati  
Clara abeat duri, *Lipsia nostra*, dolet:  
Grandævum, sanetumque Senem, meritisque verendum  
Multis, effloeta canitieque gravem.  
Scilicet, ut vivos tres junxerat ante Ministros  
Candor, doctrina & religionis amor:  
Pectora sic neque mors potuit divellere amica,  
Discedente uno singuli abire parant.  
Sancta ergo Salve sanctorum *Triga* Virorum,  
Concordi æternum lumine clara poli!

Supremis honoribus Venerandi sui in CHRISTO Patris  
& Collegæ scribebat *συλλυπημένῳ*

M. Immanuel Horn, ad D.  
Thomæ Eccles.

Lampas eras sacri longè clarissima Cœtus,  
Sancte Senex, Patris semper amate loco;  
Sed postquam multos tua Lux exsplenduit annos,  
Consumpta est olei copia cuncta tui,  
Jamque extincta tui est vis omnis corporis! at mens  
Ceu stella in cœlis, carne soluta, micat.

Venerando Dno Patrono, Collegæ atque Amico  
integerrimo non sine lacrymis scribebat


M. J. C. Hahn, Past. ad S. Johan.

ΕΠΙΤΥΜΦΙΟΝ.

Quæris præteriens hoc quis requiescat in antro?  
Quis sit, siste pedes, hæc elementa dabunt.  
Ignoras jam quis nigrâ hâc tumuletur in urnâ?  
Hanc ergo Philyren conspice certus eris.  
DOCTOR MULLERUS, vera pietate renidens  
Doctrinæ & variæ Vir gravitate nitens.  
Lipsiaci cecidit, quod novimus atque fatemur  
Omnes, pars sancti magna Ministerii.  
Extincta est lampas Nicolai fulgida templi  
Et cecidit Domini firma columna domus.  
Quisquis es, his lectis, MULLER I mortua nuper  
Molliter in CHRISTO membra, precare, cubent!

In sanctissimam ac perennem Memoriam suo in Christo Patri  
venerando ex officio pietatis scribebat

M. Fried. Gebhard, Schnebergensis,  
Nosocomii Pastor.





X

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

07. Dez. 1893

15. Juni 1995

13. Okt. 1995

04. Mai 1998

26. Sep. 1998

28. Jan. 1999

23. Feb. 1999

04. März 1999


28. Sep. 1999

01. April 2000

10. Mai 2000

Aufl. 38 / 30.11.93

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0101610



